CAVE CANEM.
DE VITA, MORIBVS, REBVS GESTIS, DIVINITATE

GASPERIS SCIOPPII *Apostatæ*,

SATIRICON.

Auctore

TARRÆO HEBIO, NOBILI A SPERGA, Germano.





HANOVIÆ

TYPIS WILLERIANIS.


MDCXII.

MANIBVS DIVINIS
LITTERATISSIMI
OLIM DVM VIVERET,
mortalium,
IOSEPHI SCALIGERI.

ANIMISQVE DEO
PROXIMIS
ERVDITIONE INTER
VIVOS PRÆCELLENTIVM,
ISAACI CASAVBONI,
IANI GRVTERI,
MELIORIS GOLDASTI,
DANIELIS HEINSI,
DOMINICI BAVDI,
CONRADI RITTERSHVSI,
FRIDERICI TAVBMANI,

SPEBVS SVRGENTIBVS
EVSTATHI SVVARTI,
Iuuenis Litteratissimi,

DEDICAT, INSCRIBIT,
NOBILIS A SPERGA.



SATIRICON DE VITA, Moribus, Rebus Geſtis, Diuinitate Scioppii, INCIPIT.



Vid in cœlo actum viderim, pridiè quàm illic eſſem, narrare volo. Neſcire quod dicas nulla inuidia vetat & hoc olim monſtri erat ſimile, cum patreis à Cœligenis ſecarentur. Hodie eoſdem adoptãtibus cilligenis, aliud negocium eſt. Nec quiſquam vmquam de Vanitate verba fecit, quin Somnianteis eximeret. Et nec quid nec quare noua ſecta hominum, omnem Peripaticiſmum expulit, vt de nullo liceat dubitare ſtatim mentita omnia ſcias, quæ Philoſophi dixerint, vt tandem aliquando melius inter ho genus quam Horologia conueniat. Ne tame contra ſe ipſam vel in vno hoc regula ſit bonæ Fidei, excipias iuſſit Pater Patratus, quæ ipſe dixit. Quæ quidem cum qualia ſint, ignoret, man-

dabit credendum, vera esse vel VERIS tamen SIMILIA. Ipse enim nihil nisi mendacia vmquam sciuit, vt facilè sit Syllogismum absoluere. Ea vero, mēdacia videlicet ad vnum omnia, iam inde à cunabulis edidicit, cum primitus manuleatam tunicam gestitare occiperet. Quod quidem ipsum etiā tempus ignorat, ne vel heic suspicionem Veriloquii incurrat. A matre enim adhuc rubens comatus esse incepit, nec sectam iam in desuetudinem morositate hominum ductam, ex illo tempore deserere voluit. Verum illum hominem diuinum, siquidem nondum ex suo & omnium voto Deus est, cui fata sua nihil vmquam negarunt, Pythagoricum, puto, omnes sciunt: Fortissimè enim Iamblychat. Vnum dubium quod ex cunctis seposuit sibi, in concilio Statuarū ad Variam nudius tertius decidetur, Culina modo Glacialis non defecerit, maneatq; suus doliis honos. miserrimis sanè hodiè Sapientiæ instrumentis: quæ cum ab hominibus olim regio supercilio habitarentur, ipsos modò Constantiæ præstites habitant, inania etiam, ne quid plumaceis discipulis ponderis faciant, in iis præcipuè regionibus vnde expulsi Terriscalponum filii, post Alpes, pro sepulcris

patrii

patrii artificii fumum fodicare coguntur, ex quo Furibus postea hæreditates nectuntur in Barbariâ. Verum enim vero, vt video, digito opus est, ne, dum virum chalyps trahit, Harpocrates adstet Otiosus. Suprema Cereri spica sertum comserat Auctumnitate iam calente frigore. Vt paucis rem absoluam, si fortè alibi opus futurũ hoc genere carminis, ne ex vicino petendum sit. Sanè quod domi suæ possidet, neminem sibi inuidere decet, si quidẽ citra periculum potest. Hoc vero immane quantum ambustuariorum Contruncatorum est, qui non ex quouis quidem ligno Mercurium, ex obuio tamẽ iambo Hermen facere possunt. Dii Deæq; homines ament quibus tam lapides sunt vt in quarto quoq; carminis pede alas requirant. Ne quid de iis dicam qui etiam claudiores de claudis in suæ celeritatis quæstum facere satagunt. Pridiè idus Quintilianos fuit, hoc ipso anno, quo peperit sese, qui numquam conceptus est. Canebubobouilibus Rhetorum, die festa, aut certè præterpropter. Nam in tantis tenebris exactè perspicere ater an albissimus sit, ne chalcenteros quidem ille promiserit, quo oculatior nemo vmquã Cæcus fuit. Qui cum omnia edidicisset, hoc vnum tamen

ſemper ignorauit, eſſe ſtabulum Pronoiæ in veſicâ Quadruplatoris vnius, docti ad vnguem digitoſq; decem, integro iam ſeculo, ſurſum & deorſum volitantia mendacia, in vnum follem cõpingere, ordine mirificiſſimo, vt vbi nec pes foret nec caput, eſſet omnium membrorũ vicem lingua illa expeditiſſima, ita vt nemo quicquam in toto filo corporis præter funem deſideraret, non aureum illum Lucretii, ſed quem à Veſpillone ſuo dudum meritus fuerat, cum diuinam illam pciram harpagandi primitus faceret. Eo die, quem quis fuerit ignorari dixit, mani ſummo primo capicinio ſomnians argutiſſimè, cum ad Luciani forum proficiſcerer, viſurus quid bonum familiæ Philoſophorum venum expoſuiſſent, vitrea videlicet fracta, ſulphurata pallentia, & reliqua tunicatorum mercimonia ſapituriẽntium; Lucernam vnam offendi, quâ pridiè à cœnâ domuitionem Menippus feciſſe dicebatur, inſcripto pretio, & auctore nomine tenus inſculpto. Subiit extemplo mirari, diuino noſtro illi Zenoni rem tanti momenti non dudum eſſe præſtinatam, cum ex angulo fori extremo aduolans excuſſit dubitationis nubem Liberius Sanga, homo ad cœlum factus, ideoque planè perſpicuè

ſpicuè marmoreus. Is manu illâ quam plerumq; plurimam læuam habet, frontem expolitiſſimâ plaudens. At tibi ego occupationes maioris noſtri, ait, vbi demonſtrauero, dubitationis huius anſam mirificâ admiratione eximam. Videbatur non ſine ioco hæc protuliſſe, itaque Fidem appello, verane, iam credenti, perſuaderet? Ne meam, inquit, vſurpes, quam foràs me cum nomine meo Bonarſco donaſſe noſti, aliâ tibi quàuis verum eſſe quod nego, ſpopondero. Poſthabitis Sophiſticationibus iſtis cœpi hominem attentius conſiderare, & non ſine ſudore iſta locutus erat. Itaque prodigium ratus, quod iam olim ros ſtatuarum celebre fecit, diuis me credidi, poſſe fieri ratus vt ex alienâ mente verũ aliquando Sanga diceret. Itaq; manum tuam, inquam, ſequor, ſi dexteram habes. Diu omnibus contemplatis, plures enim habebat quam vllus olim Ephialtæ fraterculus, viſus eſt vnam inueniſſe, quæ vnca non eſſet. Eam, Græco more, multa præfatus ad vicinũ venalitio oſtiolum extendit, Chamæleonte nigro notatum. Eoque aperto, per longas, etiam ſomniãti, ambages, & clauſtra mille anfractuũ, ad antrum me quoppiam traduxit, in quo plurimæ ſpecies hominibus nõ

valdè formam absimiles, pars ad sphæras, pars ad circulos & cylindros, non nemo ad dioptras radiosque, alii ad pulueris cumulum sedebāt. Dii, inquam, boni, quicquid hoc animantium est, vt hominibus similes sunt! Sanga vero cui ex diuinatione, & mysteriis tot sectarum, iamdudum omnis fabulæ ordo non ignotus erat; non quidem homines illos, sed plusquam homines, nimirum Astrologos esse. Homines natos esse, Deos spirare ex merito scientiæ. Artificium didicisse supra conditionem eorum, qui terræ fruges edunt, quæstuosum & illustre. Deos ex iis fabricare posse, pro quorum humanitate Afranius cicum non dedisset. Et res ipsa hæc, non Liberii testimonium erat. Olebant enim omnia Nectar & Ambrosiam. Præter sanè ex artificum rationibus nonnullas, quas cum semel inspexisses, illico Stoicos diuinos mortales fuisse diceres, quorum sensuum summa contemtis nugonibus istis, in saxum concessit. Verum ego ad Sangam conuersus, cui valde principium hoc videret placere, ecquid in hâc officinâ suos sibi forsan noster Pittacus parenteis fabricandos locasset, timidissimâ percontatione rogabam. Ast ille ore in similitudinem humani soni accuratè

con-

contorto, Rude hoc, ait, primæ diuinitatis artificium vides, Interiora digna sunt admiratione. Sed, si placet, rem ad mala ab ouo, siue mauis ad clauos à torque, consideremus. Commodùm ista nobis altercantibus, vnus de senioribus Sophis caput cum radio collimauit, vnde res minimè prætereunda oculis obiecta est. Atlantem montium longè sanctissimum, qui aure oppositâ quotidiè biberet Deorum sermones, eminus laborantem, tot numinum ponderosis herniis baiulandis, Hercules consolabatur, ita cautè tamen ne quod humeris curiositate sua suis onus parturire videretur. Notum enim omnibus, quã aptè ille lasso regi succedere, penè vnus ex tot millibus Deorum, valeret. * * Proh Deûm fidem. Res nouas notauimus. Atlas subito cachinno exsiliens omnem penè fabulam conturbabat. Eudoxo enim eo anno diis faciundis præfecto, videbat nihil noui accessurũ sibi. Et priori anno feriatos penè humeros gestitauerat, adeò pauci cœlum adspirauerant. Et præterea cultus eorum qui inter præiudicatos iam erant, perquã egregiè euiluerat. Et Deastros illos minorum gentium, hinc inde depexam sibi barbam vellicanteis, non magis curabat, quam Elefantus o-

A 5 lim

lim culicum insultus. Ea omnia cum ad litteram mihi Sanga demonstrasset, Herculis Fidem inuocantem de subitò aliquem audiuimus. Erat Legatio Mauritani cuiuspiã vel Matrani potius, Athletæ fortissimi, qui cum tot monstra fecisset quot nemo olim Thebanus veruex pueros, Iouis nepotes, cœlum ab astrispice petebat. Et vt id genus hominũ non satis ciuiliter viribus vti consueuit, quod negabatur, nisi pretio pręsente; manu, in qua omnes suos Thesauros habebat, quærere iusserat. Legati enim & numero plures; tota enim cognatio principis erat, & multum de robusto robore magistri circumferenteis, in hominem raptabant, & obtorto collo ad inferos præcipitem acturos minabantur, nisi illicò cœlũ suo Numini pateret. Fauebat Atlas populari suo; nam de pondere quod metueret non erat. Et ideo minus dubitabatur, quin in optimo & patientissimo monte moræ nihil futurum esset. Ea confidentia cum Maurorum furorem augere videretur, tum demum Eudoxus quanto maximo clamore potuit, Fidem Herculis inuocare cœpit. Aderat confestim Numen celebre monstris domandis, miserorum perpetuum perfugium. Auditâque causâ imò vix benè auditâ, ab

impetu

impetu Marraniſtas remittere ſuaui vultu iuſſit. Homini vero ſuo cuius opem ipſe cum Deos ſcanderet, expertus erat nō tralaticiam, bonam mentem inſuſurrauit. Faceret quod declinare non poſſet, Gloriam ſuam futuram, quam meruiſſe videretur officio. Paucos neceſſitatem facti reſcituros, & ſi qui maximè reſcituri ſint, Athletam tanti roboris inſuper Deum factū, ſanè & Famam illius rei facilè obfuſcaturum, & longè ciuiliorem ad alia futurū, in quibus tanti Philoſophi ope etiā inter ſuperos indigere ſeſe ſenſurus ſit. Perſuaſit non ita difficulter amico ſuo quòd neceſſitas alioqui monſtrabat, eloquentiſſimus Heroum. Cuius quidem dum in terris erat ſingula verba ſinguli clauæ ictus omnibus videbantur. Itaque poſt illam luctam Deus eſt, qui monſtra tot fecit quot vno ſpiritu eloqui nō poteſt is, qui omnium numerum in fronte exſcriptum gerit. Harum ego rerum ſpectator aſſiduus fui, publicumque teſtimonium non minore arrogantia facere poſſum, quam is fecit qui olim Claudium viâ Appiâ iter facientem in cœlum, ſacramento quinquagenariò depoſuit. Et intentior ad reliquam ſcenam eram, cum Sanga meus me monuit, rudimenta hæc verę diuinita-

tis præparatoria esse, Liciturum postideà spectare eorum successus, qui non vi, neque fraude, nec veneno, sed artium bonarum & virtutũ inclutarum professione hunc honorem meriti fuerint. In iis se principem putare hodiè, quem omnes mortales scirent, dictis factisque omnium viuere Illustrissimum. Percontanti quem diceret, (non enim subolebat eum esse qui diuinãm lucernam alio maiore mercimonio occupatus, non emisset,) fabulam festiuissimam de nouo Hercule exorsus est. Eam & vobis narrare animum induxi, tum quia, vt dixi, festiuissima est, tum quia is in eâ descriptus memoratur, cuius diuinitatem tantoperè inquirebamus. Nec ego Scioppium heic pingi sciuissem, nisi pòst ex colofone vidissem. Nam de eo, mortaline dicam? Philosophorũ certè optimo, summa mihi quæque persuaseram. Tanta hominis iam inde à primâ pueritiâ erat apud nos æstimatio, vt medius fidius in totâ Europâ decem doctos fuisse non credam, qui nomen ipsius, quod numquam, nisi cum voluit, habuit, non singulari ambitione; sed quid verbis opus est; commune delicium omnium Sapientum quis ignorat? Et illud improbitatis ipsius tum erat prœmium, quod cum simpli-

ſimpliciter malus eſſet ſoli ſibi, nemini nocere poſſet. At vero poſtquam conturbauit, & profeſſus eſt totâ Româ nequitiâ inſigniorem reperiri poſſe neminē, Clarior ipſo ſe factus eſt. Nam in luſtris natus atque ad bonam ætatis partem educatus, vaferrimo commento Famæ illuſit, & ex duobus natiuitatis patriæque ſuæ vocabulis vnum ſibi inſignem & perpetuum titulum conſuit. ** Sed ad Sangā meum reuertar; qui fabulam promiſſam, precatus ante attentionem aurium, & profanarum cogitationum ſequeſtrationem, ita exorſus eſt: Me puero audiui ſenes noſtræ familiæ ſapienteis vaticinanteis, ex perpetuâ aſtrorum conſcientiâ diſcere ſeſe, lumen aliquod grande exoriturum tempore noſtro, quod cum corpore atque animâ videntibus omnibus cœlum initurum eſſet, poſteà quam ſanè malorum omnium vſu aſſiduo tamdem nec carcereum ſquallorem, nec furaces manus, nec pedes fugaciſſimos, nec caput officinam mēdaciorum argutiſſimam, nec pectus omnium numinum contemptu ſibi ipſi ſacrum ſanctumq;, nec illa quæ dicere non eſt, niſi impiiſſima, tamdem Diis inuidere vellet. Exitus poſt tanti temporis moram, iam arridere incipit vaticinium.

Fuit

Fuit isti, quem nisi Eum nominare non queo. Pater is quem ille cum vbique quæreret numquam reperisse confessus est. Ideoque, fato manuducente, ad nouam speciem arrogationis citra omnem arrogantiam grassari coactus est. Denique generosum præfectum, hominem Cadaueribus pollucendis mirè dexterum, in patrem, nec perpetuum tamen, adoptauit. Hanc enim cum eo conditionem officii pepigit postquam adultus factus est; se nolente, patrem sibi futurum neminem. Scire omnes quid iam olim cum nobili homine Mũstero periclitatus fuerit, nolle bonum Vespillonem eo onerare, quod possibile non esse sciret vnum hominem perpetuo sustinere. Se enim mutandi generis caussas quottidie nouas habiturum, quarum subtilitas rusticis hominibus non capiatur. Itaque dum à suâ claritate lucrari & præfecturæ & Fortissimatus, & Clarissimi Viri titulos vellet, Patrem sibi pro vsu & tempore cum vocabulo mutabili præstaret. Dudum ex matre se sua cognouisse, in populo plurimos esse quos citra metum Legis Pompeiæ saxo ferire non posset. Iniuit homo fati noui legē, & cum vxorem venalitiam accepisset, quæ miri istius hominis genitrix esset, filium moribus maternis,

ternis vſurpauit pro ſuo. Ipſe obſcuris & patri ſuo ignotis oriundus natalibus, ſumma quidem alia merito, ſed fruſtrà, ſperauerat, donec vltrò fatum filiale ſecutus, iſthuc venit. Erant parentes ipſius pagi cuiuſpiam incolæ, maximæ matris inculpati coloni, in quâ ſubigendâ oſſa ſua conſumſerunt, nec felicitas defuit beatis ſenibus, etſi enim oculos non clauſit filius, tantæ fortunç hæres, ſuis tamen manibus parentum ſuorum corpora tumulis dedit. Quod cum ante extremum ſpiritum ſperare haberent, quis dubitare poteſt, felices eſſe compoſitos, & abſq; querellâ ſenium totius ſeculi clauſiſſe? Hoc artificio deinde per omnes Europæ angulos quæſtum diarium fecit. Viuuntque etiamnum non pauci qui artificii eiuſdem auctorem hũc ſibi laudant. Ingruentibus deinde funeſtis temporibus, belloq; Delmatiam Aſiæ collidente, vbi potior videbatur numerus infodiendorum, caſtra ſequi Martia Lucretius noſter cœpit. Inibi vltimã manum impoſiturus tam egregiæ dignitati, cuius officio nemo bis indigeret. * * Cum repertus eſt facinus in quo diuinum hominis ingenium manifeſto clareret omnibus, confeciſſe. Cadauer erat hominis plus iuſto longi, quem de proſapiâ

Home-

Homericorum ſuperfuiſſe dixiſſes, quod per vini copiam imprudens veſpillo non conſiderauerat accuratius.rei enim tenuiuſculæ fuerat viuens, nec de quo ſperare poſſet pulpamentum lautius tanti filii parens futurus, ideoq́ue neglectim ad Charontem proturbandus. Cum itaq; more prorſus vulgari ad pedes ſuos locũ ſepulcro faciendo deſtinatum ſubfodiſſet, iamq́ue corpus ori immineret, inuentum eſt toto ſeſqui pede longius quã pro ſpacio foſſæ vulgaris. Pendebant dubii omnes, quo pacto res componenda foret. Ille nihil cunctatus faceſſere populum iubet, &, capitalis ingenii mortalis, ex re ipsâ cõſilium arripit. Acuto cultro, porcorũ Deliacus, quem in vſus alios geſtitabat, illico genua miſeri illiũs amputat. Et nullâ pausâ factâ cum ſuis ſibi abſciſſis cruribus cadauer in foueam pręceps inagit. Quærentibus multis nemo inuenire celeritatis rationem potuit, quâ in tam bello artificio vſus foret. Cum vnus è plebe naſutior paullum æquo ſuffoſſo ſpecu ſcenã feralis illius contruncationis aperuit. Ita pręter ſolitum penè nequiter iſthæc ingenioſitas fortiſſimo viro experiuerat. Coactus inde eius negocii gratiâ properè ſe amoliri, vehiculum in itinere nactus eſt facundiſ-

cundissimam Comitem, quæ iam tum scilicet nihil indignum futuro filio suo fecerat. Publicè enim Patientiam militi professa, mirâ virtute omnium vires in se vnam deriuauerat. Vix vidisses constãtissimam mulierem, quin illicò ex formâ & ipso habitu matrem futuram dixisses summi alicuius Stoici. Durissima enim quæque se amare vel tacens vociferabatur. Mulier clementi sidere nata, cuius mater Venerem mirè propitiam habuerat. Huic cum procul se approbauisset Egregius miles noster, ilicet sui generis gẽtilem agnouit. Mirum quam ille sæpè, rem, factam sæpissimè, fecerit, priusquã gaudia sua sentire posset. At fœmina ipsa probissimi animi, quę nemini vmquam negauerat, quod nemo petere ausus fuisset, hunc commilitonem fortitudinis suæ nacta, penitus cœlestẽ suam indolem omnibus demonstrauit. Perpetuo enim motu gaudẽs originem cunctis approbabat. Nec marito inuidente, cuius operæ in terrestribus occupatæ, spes tam alti negocii non adscendebant. Et amabant inuicem & amabantur diis hominibusq; fauentibus par omnibus modis absolutum. Quid ego nunc itinera omnia euoluam quæ diuinus iste puer cum matre suâ fecit, priusquam eam agno-

scerer-

ſceret. Dicitur deliberaſſe diu,cum nōdum eam ſalutaſſet, ecquid tantæ familiæ matronam non erubeſcendam putaret? deinde de eo dubitare habebat,quâ parte à matre excretus foret. Nam quâ aliæ mulieres ſolent, illam ille totis viginti annis poſt primum in Priapi ſacello inuentam matri adſuturus erat;nam palam eâ hactenus caruiſſe,quicquid mōſtri fuit,profitetur. Porro de alterâ illâ poſticâ confiteri, inurbanum cēſebat, ideoque ſæpè rem diffidit. Generis quidem cunabula ſibi ab ipſis Traianis vel Cæſaribus repetunda nouerat, quoi in fatis erat de Scaligeris Burdones fabricare.Sed Neruam in omnibus aſtris timebat, quem cum in parentis imaginibus viſeret quottidiè dici non poteſt quantâ ſemper ſit ambitione exſecratus. Poſt aleam tamen longam cum opus haberet, Matrem agnoſcere voluit. Non talem tamen, qualis hominem pepererat, ſed qualis cum Munſtero anteà lōgè lateque claro equitauerat. Multis ambagibus prius de inhoneſtæ illius partis ſilētio pactus, ne poſtea ſibi cunnificium illud argutiſſimum periret. Cum itaque matrem certam habere deberet, eiuſmodi eam figurâ habere voluit, qualem nemo facilè æmularetur. Cum infantem illa ſiue profu-

profūdiſſet alias, ſiue enixa adeo eſſet parentē p Poloniā, Hungariā, Bohemiā, fruſtra diu quæſiuit; eius enim adoptatio puero nondū liquebat. Nec quā illi patriā daret in certo habebat. Vbiq; per ipſa centū milliaria cōceptus, aliquoties natus priuſquam lucem videret, deinde mammam trahens per omnia ſtabula Germaniæ & Poloniæ, quâ patria gloriari vellet, ipſi ſanè relinquēdum erat. Poſt natū matris maritus ſubito hinc inde gaudium ſuum propalans effecerat, vt tam magni infantis educator ad honoreis capeſſendos certatim euocaretur. nec vulgaris ſane forma erat. Oculos enim in occipitio, naſum in ſtomacho, vmbilicum in ore, manus in læuâ ambas, penem in fronte, pedes in ventre habiturus erat. Elegit igitur ex omnibus officium oblatis maximè illuſtre. Et quale decebat quem facinora ſua ſemper armatū incedere iubebant, omnibus præferre. Præfecturam Lictorum, ne ſine ſatellitio Regis parēs ingrueret. Vbique iam dum Genius filii tam feſtiui trahebat totā familiam. Itaque quærendum non eſt, quibus ille machinis ad eam dignitatem adſcenderit. Summa enim Fortuna ſemper Ratione carere conſueuit. Hanc ille per annos aliquammultos cum laude

ſine

ſine inuidia tamen omnium ſui diſſimilium, ſuſtinuit, lucrum verò omne in vnum torquem aureũ compegit, quo & reliquas ſuas virtutes conſtipabat, grandem illum & de quo pendere cum omni familia ſolido iure potuiſſet. Sed rapitur ardor narrationis in medias res, & laudeis filii ante diem paternis immiſcet. Stoicus noſter quamprimum matrem erupit læua manu quod potuit traxit. Aui ſui Mercurii inuitator. Dextræ quam & ipſam in ſiniſtro latere habebat, luſus alius non fuit, quam nunc etiam eſt. Scribere litteras nondum didicerat, ideoque geſtibus patrem ſuum futurum vitilitigare docebat. Senſit prima mater, & Obſtetrici, ea miles ipſe erat, indolem diuini infantis commonſtrauit. Pro certo narrare nõ licet. Eſt tamen qui adfirmet, coruum grandem cum ſocio graculo triduum integrum in ea domuncula fata præcecinifſe, in qua natalicium feſtum celebratum eſt. adfuiſſe etiam frequẽtes Harpyas cum aquilinis vngulis, chorumque vlulantium noctuarum, quæ genethliacon cantillarent. Pater ſanè iam dum aues iſtas amabat eximiè, ſepulcris auorum ſuorum excubitores agnoſcens perpetuos. Quæ nemo vmquam ſaluis cruribus reliquit, altiora ad cœlum

lum totis viginti cubitis quam vulgo cippi fieri consueuerant. Et ideo facilior iis via semper ad superos fuit. In quo vno sanè, vt mortale nihil perfectum est, infelicitatis aliquam labem patitur sors Antithei nostri. Nam si monumenta patrum suorum respiceret, faciliorem lõgè ad cœlum viam adscenderet, quam illa est, vsq; adhuc per omneis anfractus homini tot iã annos quæsita. Et profecto domi reperire potuisset, quod in Baronii libris tanto opere & tempore rimatus est. Sed ignoscat fatum sanctissimi viri. Etiam renitens tamdem id aliquando sequetur. Volebat Sanga pluribus ordinem cœptum persequi. Sed ego, si tibi integrum est omnem diem tinniendo eximere, vel in via hic consedero, vel prorsus me à te amoliar. Videris enim talia narrare, qualia solent homines inepti qui eos extollunt, quos deprimere nequeunt. Tu enim vltra omnia mendicabula in stercore degens infimo, personam tibi ipse tam gloriosam affingis, tuasque, quas aliter nequis, res gestas sub fictis nominibus percensitum venis. Cur enim nomen historiæ non addis? Cur de Parente & Matre tam ambigua & dissona refers? Indignationem ille interpellans, liquidò iurauit ad se ista non perti-

pertinere, nec eo altitudinis ſpes ſuas eſcendere, qui ſola ſit vmbra viri cum tanto Viro comparatus. Nomen ipſum nondum in ſeculum veniſſe, quale quidem pro certo geſturus Bias ille videretur. Alia longum eſſe perſequi. Hinc inde enim cum titulis illis magnificis Hiſpaniam, Italiam, Galliam, Germaniam, ea circumequitare. Quarum nulla non prouincia nouum nomẽ tam eximio Sopho apponere voluerit. Cum ipſe tamẽ vno ſolo ſe æſtimare conſueuerit. Sed eo incertiſſimo. Mutaſſe enim iam dum per omnes litteras. Porro de Parente vtroque rem omnibus liquere veram narrari, nec tam contraria fingi poſſe, quã ille diuerſis in locis de ſe ipſe compoſuerit. Inter hæc ad aliud ſpelæum nobis aditus datus, in quo ſoror Aſtrologiæ, per ipſam Cœlo adſcripta, habitare dicebatur. Nomen ſi quis neſcit à me numquam expiſcabitur. Non enim is ſum ego qui ſecreta Deûm in vulgus effutiat, quæ myſtæ vix omnes norunt. Inibi cum multas vndique voces variis nunc tonitribus, nunc ſtridoribus, nunc bombis, modo ſibilis inuolarent, & diſſonis omnia ſonis ſtreperent, eſſetque aliud nihil niſi mera cantionum & clangorum mapalia, Sangam prehenſum brachio v-

no rogaui ex cõfuſa hac turba Deiſſantium quã poſſet ocyus educeret, aut neglecto officio penitus me ad forum reuerſurum. Ille reſpiciens tergum ſuum immanem mihi faſcem clauium ærearum oſtendit, quibus ſcilicet niſi inſtructus forẽ, ſe inuito pedem referre non poſſem. Nollem igitur aut vellem ſuo me ſub imperio eſſe. Quid agerem miſer. Superioris fabulæ condicione ab homine exprocatus ſum, vt per medios illos clangores me traduceret, quiduis velle pati, ne eum tumultũ pati cogerer, quam aurium mearum teneritudinem noſſet. Cum bono itaque Deo fabulam exorſam, quamprimum antrum iſtud egreſſi eſſemus detexeret. Adeoque vel à capite ipſo exordiretur. Mouit hominem dicti feſtiuitas, lingua enim quàm auribus erat procacior. Itaque laciniâ auribus obturatâ ſequi me iuſſit. * Deorum hominumque fidem appellabam mecum, * ſed eo habitu perſtare non poteram; nam cum Liberius noſter quid narraret os ipſis mihi ceruicibus applicabat, ne quid ſermonis abortum pateretur. Deinde ita quod numquam finierat exorſus eſt cum vno menſe plus centies millies narraſſet. Ad ipſum nunc deſcendat puſum oratio, cuius Chaldęi noſtri tan-

to ſpacio geniturã anteceperunt, vt multi indignanteis eo ſolo nomine perierint, quod tam luculentum indigetem coram complecti poſſe deſperarunt. Ille vt primam terram attigit ſeſe ipſe ſuſtulit. Longum erat matris aut educatoris voluntatem morari. Denique cur non à ſemetipſo initium artificii, quod faberrimè facturus eſſet, faceret? Initia ab infantia quæ pueritiæ fuerint, horribiliter ſit dicere. Nihil iam tum plebeium ſapiebat, cum Reminiſcẽtiam ex Platone nondum didiciſſet. Diuina omnia moribus & ore præferebat. Ad triſtia omnia ridere, lætis indoleſcere, planctu tum demum abſtinere, cum ridenteis parentes conſpuiſſet. Infantum omnium intellectũ exquiſita epularum ingurgitatione exſcendere. Adeoque bis parentes ſola voracitatis præſtantia necdum quinquennis ſolum vertere coegiſſe dicitur. Operatur ſane in mortalibus fati ante diem Conſcientia, & celerius annis ſuis illuſtre ingenium creſcit. Culinã ille omnibus vbique ſanctuariis longe pręponebat, nec à ſemel capta abigi poterat, donec cum fæce ipſa exoculaſſet omnem. Vilium contemtum quottidianorum mira induſtria præ ſe ferre, ſi quando fortuna lautiori vinculo hominem

ad præſepe deſtinaſſet. Sæpè parentum famelicorum oribus buccam extorſit. Sciens ſcilicet maiorem aleam de ſua ſalute quam illorũ nauci hominũ verti, ſimul vt genus ſuum iam dum ipſis commendare videretur, quo ſemper prærogatiuam meritus eſt. Pallorem quidem illum diuinum penitus Socrati abſtulerat. Quamquã præceptore ſuo vt in aliis omnibus etiam in hoc multis millibus prior. Nigricãtem enim faciem primitus, cum creſcentibus annis penitus immortalibus illis Æthiopibus deſcripſerat. Nec quicquam iam diſtabat à parẽte Chariclīæ; Regem enim Sapientia factura erat. Futura vero ille omnia pro præſentibus habebat. Adeoque fumum tenuem cernens ex torre manantem, iam comedebat relliquias. Cum primum pedibus inniti & veſtigia figere potuit, omnibus vicinis voracitatis valentia procul depulſis, ſolus Sapientiæ ſuæ ſine ſale ſæpè vacauit. Strenuus eſuriem octiduanam vnius diei opera aſſidua exſcindere.* Quid dicam quam ille ſæpè macella præteriẽs Diogenes eſſe voluerit, cum ſemper tamen Bona Scæua miſerata ſit ſui pulli, proque crudis coctum aliquod obſonium clanculum obtruſerit. Et ſunt ſanè qui prima Mercurialis ſcientiæ fundamenta hac indole

aggressum dicant. Panem vicinia iam nullum venalem habebat, cum de Opsonio coram in platea accusaretur, viduus pistor pulmẽto panaceo, scenã accusationis risit. Nemo iam Lamiscum nostrum impunè grassantem viderat. Quoties domo vacuus Hermogenes exibat, toties probè suffarcinatus redibat. Et Parentes sanè suos quæstu manuario satiare poterat. Sed ille pietatis priorem habebat rationem. Ab his enim picatas manus exercere incipiebat. Inter hæc initia pueritiæ tempus consumserat, cum iam se de suis facinoribus posse alere videretur, Studiis litterarũ animum applicare cœpit. Nec ego quanta pernicitate ad summũ in illis venerit decus, effari velim. Res ipsa testimonium incomparabilis ingenii perhibuit. Cuncta prius scripsit quam legere posset, emendauit, quam scriberet, edidit, quã emendaret. Adeo omnes in hoc suo delicio vires experta est Dexteritas. Scholaribus rudimentis ipsos magistros suos docere voluit. Nemo tam cati capitis fuit, qui discẽtem ferre posset. Hinc factum est vt statariam nullibi locorum fecerit. Prius ab omnibus exactus quam pedem penetraret. Grammaticas prolusiones examinandas cum daret, id solum agebat, vt de eruditione magistrorũ experiretur.

riretur. Erroris nemo vmquam vel puerũ conuicit, adeo nec in hac parte humanum quid prę ſe ferebat. Rhetoricã profeſſus eſt, quum numquã declamaſſet. Agebat natura in hoc ſponte, quod alibi per induſtriam vix extundi ex ſe patitur. Iam vero cum ad Dialecticas ſtrophas vẽtum foret, quis vſpiã ex tot millibus magiſtrorum argumentantem refutare niſus eſt? Album omne nigrum erat, adeoq; ipſo diſſerente aſini ſine pennis volabãt, vt nunc eques ipſe ſine equo equitat, & hoc ſophiſticationis genus nemo credebat puero vtile eſſe, iam virum eum cernentes, omneis mirãtur acumen. Vox bona etiam infanti erat. Adeoq; Claudianũ in morẽ ſæpè omnium pluteos rumpebat. Memini aliquot dicentes audiuiſſe, qui iuuenem audierãt cum latus exerceret, penè omne opus anhelitu perdidiſſe, adeo intentis neruis incumbebat. Quod cum toties faceret quoties copia eſſet, numquam tamen vel deprehenſus colorẽ mutauit, niſi ſemel, & id perfunctoriè. Et in hoc ſanè omnibus Philoſophis ſine exceptione illuſtrior exſtat. Omnia eodem vultu dicere & facere iam olim cõſueuit. Pallorem quotidianum ab eruditione habebat. Quæ totum corpus intus occupatum habens, ruborem ad ſe o-

mnem attrahebat. Sed eum rari mortales videre poterant. Nam Epicuræam insuper nubem induxerat, suetus tonitribus aduersam frōtem opponere, nec nisi dirissimis fulguribus à diuina illa fenestra, per quam omnia cœlestia & humana dispiciebat, coactus secedere. Pudorem ne fidiculis quidem fronti extorsisses; nam & nullum habebat penitus, nec, qui cętera omnia accuratè notauerat, quid hoc vocabulum rei insigniret, nunquam discere voluerat, & frons præterea ex eo genere lapidis erat, quod ne dolabris quidem perfringi, sed solo sanguine hircino domari potest. Id quidem semel penè nequiter expertus, ad adstruēdam rerum naturalium fidē omnibus ipse testari solebat. Nescio enim quo malo fato Ingolstadii cum vigilibus nocturnis, ex contubernio maternorū procorum domum serius bitens, quod sibi de via non cessissent, rixari incepit, qui cum alioqui non molles forent, hominis betaceos logos ferre non potuerunt. Et vnus paullo humanior impacta valido brachio bipenni frontem homini totam hircino tabo perfudit, cōtusam quidem antea quo ad pote erat. Hocque durissimæ rei molliendæ mysterium sodales omnes suos in Peruigilio Veneris, quamprimum id repetere potuit,

potuit,in Commētarios referrent monuit.Sed nec aliud experimentum notitiæ naturalis, ad quam ille factus est,prætereūdum putem. Vngues miluinos quo pacto mollitudini lentæ atque aquosæ trāſdere posset,de ſuis ſibi pedibus periculum fecit. Sanè exitus eouſq; conatu arriſit, vt negocium ad finem aliquē procederet. Sed cum ignoraret toties ſibi trans Alpes refugiendum citraq; & vltrà equitandum pedeſtri ſtilo eſſe, mallet id facinus ſedentaria opera nō patraſſe. Nunc enim pedibus æger eſt, nec lentitudinem ſuam vllo fumo exſiccare poteſt. Sedet proinde in ſtabulo facinoris ſui,ęternumq; ſine Hercule infelix Theſeus ſedebit; adeo,vbi Orbilius qui nuper in ea gente, vbi nunc viuis intereſt, cluniſpicia publica fecit, palam teſtatus ſit natem neutram homini ſupereſſe. Altera ſedendo attrita,altera in pulpamentum Lemuribus pro millibus mendaciorum quinque data,vnde integrum aliquem annum victum ſibi procuraſſe ſperat; nam & Datarium nactus eſt, hominem & ſapientem & ſapientibus familiariter fauentem, & hæreditas Palatina ad integrum triobolum profuit. Verum ſi quando fata fautorem ſuum Germaniæ terræ reddent, mirabilem ſine natibus & præputio Stoicū vi-

debitis. * Vt qui in propatulo omnia facere velit, & diei vſum neceſſe habeat ab oculis hominum emendicare. Nemo enim nunc ibi eſt, qui patienter eum intueri poſſit. At ego fatigatus tanta orationis volubilitate, nimium inquã Sangiſce, tu nobis extra oleas vagaris, & via iſta ſatis alioqui amœna eſt, (pratũ enim amplum erat & amnibus clemẽtibus hinc inde irriguũ, virorem herbarum gratiſſimum, argenteo vndarum candore diſtinguens, multo gratiorem adſpectum reddebat, & florum omne genus locum Veneri matri & nutrici, Floræ conciliabat) quam fabulę tam prolixæ immortali puto hiſtoria, obfuſcas. Nã ego nec dum de quo ſermo ſit intelligo. Ille vero egregius ſermocinator, vltima mea verba medius irrumpens, vix tantum pauſæ oculis dabat, vt inclementer me intueretur, ſed perpetuum carmen ſine reſpiratione decantaturus, toruioribus prioribus vocibus, ita porrò inſonuit. Iam omnem orationẽ ſi ad hunc vnum locum cõparſiſſem, eloquendo aſſequi minime poſſem quid in peculiari ſua ſcientia, quam & eo nomine arti artificioſiſſimæ includere voluit, præſtiterit. Vnum tamen prius egregium facinus obliterandum nõ eſt. Captis quantum ſatis erat ad omnes exſuperan-

perandos alios litteris, subito furore Bellonæ concussus est. Iam patrem adoptauerat. Itaque bona eius ad se pertinere ratus, cum cingulum iã cepisset, & machæra insigni cõspicuus omnibus libris despretis, fulminaret hinc inde Mauortio ardore pugnandi, venit in mentem, priusquam campo se aperto committeret, & paternas strages latius dissiparet, de viatico aliquo sibi prospicere. Nam nec fortissimis viris vbique itinera & commeatũ facilem esse. Præterea eximie sibi de vulneribus metuebat, expertus scilicet quo dolore Deorũ sanguis plueret. Torquem eius rei gratia grandem aureum, quem bonus & fidelis pater thesauri loco habebat occultum, ex interuersis Cerealis potus prouentibus, & successibus aliorum lucrosorũ strategematum. Deniq; etiam genii paupertate corrasum, si quando fugæ necessitas incũberet scilicet, vt ipso se suo patre, quem penes imperium eius artificii omnes ponebant, multo eruditiorem & astu potentiorem venditaret, scapularum suarum fiducia, & ingenti promtitudine fretus harpagandi, ex ipsis custodiæ penetralibus miro ingenio irrepens, inuolauit, furatus est, abstulit pro suo pergræcando atq; helluando clam palamque in lustris, in popinis, ta-

ſtimulis prorſus efferatus. Plane virgas infamię ſanguine diuino lauiſſet noſter Stoicus, re ipſa experturus fortiſſimi pręfecti vireis, ſed nõ quo optaret modo. Cum fortuna propitia tot ſuos luſus vnius hominis vltionis auida dextera proturbari videns, reſpexit pullum ſuum. Et animum quidam effrænem militis, qui vt pœna ſatiaretur nihil omnino penſi habebat, gnarus expertuſq; ſuopte exẽplo cum funem ſuarum virtutum monumẽtum domeſticum adſpiceret, venia maleficorum animos deteriores, & ad vlteriora audenda rapidiores fieri, quo ad petiit per interpretem publicę pœnę Caduceatorem inhibuit. A carcere vero, qui ſcilicet pœnæ loco iam olim non fuiſſet, excuſare delicatum ſuum Gnythona erubuit. Compactus igitur & ferreis in eum catenis demiſſus crapulam ſanè perbellè exdormiuit. Parenti autem pro tã humano hoſpitio gratas gratias egit, repenſurus vtiq;, qua fide in genus ſuum eſt, niſi poſt tot prælia Lucretium Natura repetiiſſet, ante quam ſpecimen ſpicere gnatus gratitudinis ſuę poſſet. In eo carcere fama eſt hominem ſolitudinis nimio amore occupatũ, primum ad Stoicorum dogmata animum applicuiſſe, non vt ea intelligere niteretur; quis enim ab illo tale quid

exacturus sit? Sed vt maculã tam horridi cubilis quottidiano carcere, quà posset, elueret. Sed, quà capitali calliditate calet, in Germaniâ vbi hoc principium omnes norant, disciplina nouę fundamentum ponere non erat. Itaq; pepercit studio diuino vsq; dum Teutoniam humũ vertit, & cũ intestinis omnibus trãs Alpes in Campum Martium nidulatum exiuit. Vbi cum diu hanc sectam professus esset, ne penitus principiorum obliuisceretur, Senatus Populusq; Inclytæ Venetiarum vrbis, hominem quamprimum pro exploratore ad se vẽtitasse comperit, studio veritatis in carcerem deportauit. Ibi solitudinis amatæ admonitus frustra secum rixari incepit, tandem tamen cum paupertatem acuminis, & scelera prorsus non captiosa sensissent proceres, miseram & miserabilem vulpeculam egenam rerum omnium de mansione infelici nauseãtem finibus suis in maximã malam crucem facessere iusserũt. Sed nec ibi morum suorum oblitus est, lõga enim & delinifica oratione ipsum Socraticũ illud habitaculũ sibi vsq; adeo conciliauit, vt multi putent, quamprimũ hominem recepturũ sit, postillà numquam dimissurum esse. Adeo bene ollæ cum operculo conuenit. Sed contubernium hoc pro infortunato

nato iam abominari dicitur. Nam in principiis penè finem rationum ſuarum inuenerat. Idcirco mauult ſemper corticem lambere quam tãtis impenſis interiora ſequi. Verum abſtulerat ſeries cõnexionis fabuloſum Hiſtoricũ. Ideoq; videbatur tempus eſſe denuo interpellandi. Et noua methodo ingredi placebat. O Sangiſce, inquam, noſter, vt mellita atq; ſuauia de iſtoc homine, quicũq; tamdem futurus eſt, narraſti! Quæſo nunc iter bona fide perſequitor, narrationem cras & iſtam repetiueris, & vſq; ad coloſonem porro vniuerſam omnem deduxeris. At meus magiſter ſpiritu in os collecto intẽſiore etiam cauillatione loqui cœpit, & nõ procul abeſſe domicilium illud ætherium, quo tenderemus, & vbi res viſuri eſſemus mirificiſſimas, obfirmarem animum, & aduerſis durarem. Et reuera altera iam regio aëris videbatur, neque procul ad Lunæ orbem adſcenſus aberat, ſed ille, vt videbatur, ſponte ambages quærebat, vt quaſi neſcientẽ oppletũ opinionib. de ſuo magiſtro illuc ſiſteret, vbi eũ principibus Diis immixtum iam ſubſellia alta tenere autumabat animo. Igitur nec quid nec quare, fruſtratis omnibus meis argutiis ſermonem cõtinuare inſtitit. Poſt emiſſum atq; adeo expulſum carcere

 filium,

filium, (amare enim cõſcientiâ ſceleris iam latebras videbatur Speculator illuſtriſſimus) reductus ægrè eo eſt miles, vt ne arrogatione ſe abdicaret. Nam Furioſus ardor animũ coquebat, breui ſe fortunis omnibus expulſum iri opinans, ſi vitam filius eo pacto perſequi inſiſteret ſuus. Sed non deerat matertera magna Libitinę filio. Tiſiphone, veteris vetuſti facinoris figuram ob oculos ponens, quo ille iam olim & antequam Fortiſſimatum à filio exprocatus eſſet, torquem ferre cogebatur ferreum. Eius rei ergo ne addito filii ſcelere paterna etiã merita imminenti ſupplicio refricarētur, maluit blandiri aliquantulum, quem peius ſe ipſo odio habebat, immortalis ingenii pullo, adeoq; in eius male geſtis rebus ſuis etiã ignoſcere. Quicquid huius rei fuit, ita ſanè attonitum fecit illius technæ publicatio glorioſum adoleſcentē, vt patrium illum militię Amorem penitus ex animo deleret ſuo. Igitur, quo Naturę fauor anteà duxerat, nunc maiori conatu ad litteras animum applicare cœpit.* Denique relatus eſt ad ſtudia ſua, ſine quibus vitam acerbã ſibi ducebat. Hærebat tamen ſcintilla ſemper fortunati illius tēporis, quo inſtructus torquis aurei ſubſidio Soles ſibi cõdiderat ſuauiſſimos, animũq; ægrum

cupi-

cupidine voluptatum torquebat. Non quod vllo pacto ad eas reuersurũ se putaret, qui nullius nummi dominus post carcerem vmquam futurus videretur. Sed quia priuato exercitio mentem quothoris admonebat dulcissimarũ dierum, & ex illo tempore semper Chagettianus audire voluit.* Quod solum igitur potuit, cum nactus volentem esset Ingolstadii Lauernam, & absentis egregii viri Bibliothecæ omnẽ animam intertraxisset, vnde sperare haberet & Symmachi simul & Nepotis libris, suoq; vẽtri de cibo aliquot dierũ prospectum fore, manibus illis castissimis, quibus nunquam aliquid sine emolumẽto aggressus erat, historiam Priapi luculentis carminibus, sed paulo quam par erat difficilioribus antiquitus inclusam, tractare cœpit. Successu quo quæris? Ipsum illum ficulneum truncum, quo nemo vmquam Stoicus peculatior fuit, nemo Cynicus vendibilior, Peripateticus astutior, Pythagoricus taciturnior, Epicuræus elegantior, quẽq; ille pro præsentissimo numine semper & habuit & expertus est, testor, tantam in eo negocio felicitatem adolescentis fuisse, vt maior omnibus verbis re ipsa inæstimabilis & nunc putetur. Nec arbitraberis alia tantæ viuacitatis scripta vel ipsum

posteà fingere potuisse. Nam & nouẽ integros annos postquam non femore sed natibus prodigii nõ excisus sed præcisus est tam felix fætus, latuit inter lucem & tenebras medius, ibiq; omnem inuidiam futuræ fortunę præconsumsit atq; exhausit. Et cum primum in dias luminis oras prodiit, miro ardore, & penè igne ipso, quẽ quidem merebatur, exceptus est. Quis secreta illa humanitatis tot seculis latẽtia, & scientiam mortalitatis fugientia, nõ miratus fuerit vnius hominis industriã tamdem validos nodos carceris tam longi perrumpere potuisse? Si vulgare ingenium in hoc puluere se iactasset, sanè potuisset plausus omnium ordinum mouere, ab orchestrâ scilicet vsque ad Balnea Martial. Mathoniana. Quid istum censes, natum ad omnia summa, etiam funeris? Sed de industriâ hominis loqui magis est. Principio nulla vox est obscuri antea operis, quam non ille penitus intra viscera sua concoxerit, atq; in sanguinẽ succũq; suum traduxerit, cum re ipsâ quæ significatur etiam. * Mille nomina nouas ipsi ansas eruditionis augendæ quottidiè dederunt. Expertus enim quæ vis vnius foret, ad alterũ ingenti saltu ocyssime transuolabat, eoq; pari modo absorpto, tertium aggressus est, atq; ita porro nõ

interru-

interrupto ordine, omnia Priapi myrothecia, omne armamentum, haſtas, trabes, arcus, neruos, & quid neceſſe ſit omnia percenſere, balſameos ſuccos, rores Lucillianos, & mille alia condimentorum vocabula ſuo periculo percepit, edidicit. Nullum in tam luculento opere verbum reperias, quod non coram ſuis Commentariis ad viuum deſcripſerit, vſumq; in peculiarē indicem & prorſus Lucretiano timendum reiecerit. In quo quæ ſparſa auctor abſtruſè hinc inde nomine tenus vſurpauerat, ipſe ad oculum docet, & elegantiſſimâ methodo omnium noticiæ exponit. Vt prorſus iam nemo ſit qui non apertum cum ſua ſibi ſupellectile & adeo omnibus inteſtinis Deum videre poſſit. Quantum hoc reris beneficium? Sane ſolo hoc trilibres omnis Poſteritatis calculos in caput illud acutum meruiſſe fatendum eſt. * * *
Poſt hoc ſpecimen intra paucos menſeis datū, cum omnium fœminarum intereſſe videretur, poſt reſtitutionē lepidiſſimæ partis Salaciæ nepotē non deſerere, ipſe Orpheum nouum profiteri cœpit, & procul à conſortio ſexus ſequioris ætatem cum Petronio colere. Sed quid faceret? Aſcyltos non erat: Itaq; equeſtrē animum, quo ad hāc quidem feſtiuitatem, ſequeſtrauit, & ſub-

& subsidere optauit Romanẽsibus Eumolpis, vt non in Africâ sed mediâ Germaniæ Bohemiâ, aut ipsâ adeo Italiâ hæreditatem aliquam opimam cerneret, vel viuentium aliquem illustri nominis fulgore ex Patriis sedibus aut Electitiis dignitatibus excuteret. Verum quid ante patrarit, quam ducente Pronæâ illuc animũ applicaret, accipe. Litterariũ negocium hactenus coluerat, in eo veritatis hominem, si quam vmquam incautus impegisset, seriò pœnitere cœpit. Ergo quod corradere falsimonię potuit, in libellos quattuor coniecit; Verisimilium iis titulum inscripsit, eo quidem diffiteri nolens, omnia mentita esse quæ & de vetustis libris & suo ingenio nec non litteratura conscripsisset, sed saltim vt lusum daret doctorum otio, dum vero similia dicit quæ numquam illud crimen adfectauerãt. Nec malè cecidit dolus; reperti enim statim sunt, qui figuram abstrusæ scientiæ explicarent, scilicet vt bella dicuntur quę minimè bella sunt. Pareæ, quod nemini vmquã pepercerint, ita Stoicæ gentis dictatorẽ futurum similia veris nuncupare, quæ ne suspicionem quidẽ vllam veritatis pati possent. Nam quod similia potius quã vera scripsisset, illum ipsum diuinum non voluisse latere Posteritatem, nos-

se

se se quid ingenio suo debere posset. Hâc deinde publice technâ caput exserere visus est. Quo facto nullis catenis, nullo neruo tardari potuit, nulla compede contineri, quin in gentiles suos Suspectionū fœtus aluum laxaret. Dii boni, quæ monstra Paratragicarum desultationū in illum aceruum Epistolarū excreuit! Quæuis in tot libris Epistola auctorem suum calore cōbusserit, quo ipsa frigida tot veterum syllabarū ossa, in monstra, Hercules iis mox futurus enicandis, animauit horribilissima. Nec ad opus ferè accedit, nisi prorsus nudus omnis amictus, aut tot mastrucis oneratus, vt præter lōgissimas illas aures & Lamisci pedes nihil appareat auctoris sui. Videbatur sibi hoc etiam Opere perfecto vltra omnia nomina veterum Litteratorum euolauisse. Itaq; Catalogum eorum, quos superasset contexere cupiit. Veritus scilicet ne tot Heroum nomina æuo interciderent, cum quibus Victoris gloria euanescere necesse haberet. nam suam immortalem esse tam sciebat, quam parentem suam genus suum numquam affirmare potuisse.* Adiunxit artē Criticæ methodo mirabilissimâ compositam, vt vbi nec caput nec pes esset, nihil tamen deesse sentiretur, præter carnem & sanguinem. Et hoc sanè arti-

artificium libros emendandi pene est vt fateri cogamur solum hunc hominem & benè scire, & dextrè exercere, & alios perspicuè docere. Sed eam ad laudem vnum solum deest, numquam vlli probare potuit, se tale aliquid didicisse, aut discere potuisse. Magno sanè spiritu, comparem suum eiusdem relligionis hominẽ Menippum Samosatenum cõtemsisse videtur, qui cum duella & disceptationes quondam litterarum satis argutè nugax scripserit, in hoc libro ilia rupisset ridendo: Multo enim argutior & subtilior exiit Commentatio, * & solebat ille quicquid diuinum putabat mordacissimo cachinno persequi. Hoc etiam facinore confecto, cum pauca iam quædam restare viderẽtur ad summum & Litterarũ & Gloriæ imperium, Italiam Varro noster petere instituit. Veronam delatus nihil dum earum rerum vidit, quas trãs Alpes imaginosum patiens, in somniis viderat. Putabat enim adeoq; pro certo persuasus erat homo mirè suarum virtutũ conscius, cum nullam alteri æquare aut postponere, omnes omnibus anteferre soleret, genibus flexis omnes maiestati nominis sui occursuros, & medio gremio tantorum operum conditorem excepturos. Indignabundus igitur cum pro triumfis

vndiq;

vndiq; Poſcinummios milites Priapi ſui offendiſſet, rogare cum grauiſſima auctoritatis demonſtratione cępit, quid tamdem iſta ſuperbia vellent ſibi? Ideo ſtolidos ſuos gẽtiles reliquiſſe, vt haberet qui ſibi facerent quod meritum omnes noſſe deberent. Et Iureconſultũ ſe eſſe non vulgarem, ignorantiam non ita facilè excuſaturum. Quam ſibi ſoli ſacram ſeruaſſet ex tot Epimethæis volucribus. Nec, cum primum nomẽ auribus perceperunt, quiſquã fuit, quin agnoſceret acumen multo ante vaticiniis prædictum, ſequi velle eum honorem libenter habere dicerent, ſi ſine alterius præiudicio fieri poſſet, qui in Domina vrbe reſidẽs, animis corporibuſque hominum planè Platonicè dominari, iam olim cœpiſſet. Audito tam ſibi ſimilis viri nomine, cum imitabilem eſſe omnino negaretur, proximus vt illi eſſet, vel defuncto vt ſuccedere poſſet, ſi quà fata ſinerẽt, omnem lapidem mouere velle animum induxit. nam reliquorũ ſine dubio primus erat. Cum ergo Luxuriæ filia trans Alpes illum reieciſſet, omni illuc cogitatione incumbere cępit, cętera omnia reiicula putare. Planè vt illum olim Miltiadis Tropæa, ita hunc triplex corona dormire non ſinebat. Quid eo triennio egerit; tantum enim tempus

tempus his cogitationibus insumsisse dicitur, sciri vix potest. Certum tamen desperabūdum, cum per tot apparatus eo sibi, quo inhiabat, adscēdendum videret, at proauorum suorum sepulcrū, vt tantæ pietatis Sophum decebat, crucem nimirum seriò animum applicuisse. Et in ea quidem litteris exornanda, vt propitiam experiretur, totus erat, adeoq; omnem anquirendæ materiam constipauerat, cum Fortuna denuo memor Phaonis sui esse cœpit. Triennio iam in præparatoriis Cruci Saliȩ scientiæ decocto, subito Lux fati necopinantem tenebrionē percussit. Excitatus igitur animo Italicarū sperum memoria, vitaq; torquis beneficio emendatius olim culta, arrepta occasione Bohemiā iter facere cȩpit. Forte iis diebus surrepserat nescio quibus eruditis, (quibus sanè de colore notum, intus hominem velle indagare, operæ nō erat,) commendatitias in alium finem nactus, Vrbem Regni metropolim aduolauit. Eo desidens, cum pleramq; partem Oenotrii illius spiritus occasione tam facili resumsisset. Primum, vt ad vota promtius venire posset, Patriæ Relligioni, Sacris iis, quibus instar Salutis supremæ omnem cultum debebat, palam renunciauit, & auctoratus vnius Cœnæ stipendio etiam incerto,

certo, & volatili prorſus, à Deo contemtum omnis virtutis manifeſtũ exorſus eſt. Iam vnum ſibi egregium munimentum adſtruxerat, nulli parcere poſſe, omnia ſuſq; deq; & vnius ordinis lociq; putare, fas nefaſq; precio atq; adulatione venale geſtare, ore, manibus, pectore, atque animâ, nulli fidus eſſe qui Diuinum Sacramentum ſponte conculcarat. Iis artibus facilè ſe aliquem futurum ſperabat, cum exempla nō pauca magnatũ in eam rẽ excuſſiſſe ſibi videretur.

* Sed nō erat ſatis notis ſuis & iis qui in eadem regione viuebant, oſtendere Cerbeream malitiam. Orbi omni & præcipuè ſuis, quibus olim omnia debere nō poterat diffiteri, inſultare, ita vt Deo ſimul parere non poſſet, animum induxit. Edidit igitur ſacerrimum librum, quo ſpem omnem ſalutis pedibus proterere omnibus teſtatum fecit. Eam partem relligionis agnitæ atque confeſſæ impugnauit, quam nemo niſi deſperatiſſimus tẽtare vnquam potuit. Hoc primum perditæ & ad extrema omnia proiectæ animæ in Conſcientia ſua æternum atq; indelebile opprobrium, damnumq́ue irrecuperabile indulſit, vt ipſam nolentem volentem publico ſcripto malitiæ inauditæ ſubhaſtaret atq; mancipio tranſſcriberet. Nec poterat Deo Hominibuſq;

busque & sibiipsi, dum in horum nomine fuit, quicquã moliri perniciosius, nisi quod ipse tamen etiamnum sibi ludere videbatur, & iacta semel alea alia crimina prorsus si posset infestiora adstructurus. Sed eo facinore patrato expertus est, quanquam sentire iam non posset, mercedem malitiæ operis dignitatem non excedere. Inde enim, quam spebus omnibus appetiuerat, Italiam relatus, pro libris Titulos, pro animâ venditâ, ventosas Dignitatum numquã tangendarum nænias lucratus est. Et hoc vno sagacissimus mortaliũ mirabiliter cæcutiebat, solere taleis operas talibus prœmiis compẽsari, ab iis quidem certe hominibus, qui artifices fraudum atq; imposturarum acerrimi, nulli facile quid pretii alicuius credere consueuerunt, quem ad partes suas volentẽ attraxerunt. Nam prima rudimenta experiundi constantiam hominis inde capere adsolent, vnde minimè rerũ qui blandimẽtis nouarum pollicitationũ inescatus, penitus non videt suis sese artibus & ingenio peti. Et rectè sanè hoc vnum illi, qui aliarum rerum virtutem eiurasse videntur, & contra suum morem sectamq;. Si enim, vt spes primæ laciũt, quiuis balatro & baratro, qui venalia habet omnia quibus exterior brutis vitã colit,

lit,præmiorum odore incitatus,in fundo reperiret, quibus oſtenſis in ſummo ſcelerum initu delinitur,quantam perditorum hominum turbã quottidiè qui mentiri ſaltim accuratius poſſent,eo confluituram cenſes,vnde reditus pauciſſimis etiam poſt agnitum errorem, aut damnatã malitiam, ſingulari Fati pietate conceditur? Sed præuiſum hoc malignorum vulgus ſollerter cauent cohortes impiorum Bucenũ, ne & ipſis copia diſcipulorum Regnum improbitatis in dubium veniat, & exhauſti profuſione tot præmiorum ipſi ad incitas contrudantur. Expertus itaque & horum vafriciem noſter Antitheus, cum titulorum abundè nihil vero pro ſummo improbitatis conatu,opum retuliſſet, noluit ſimplici inſania debacchata, redire ad caſtra veritatis,ſed deſperatorum prorſus ſignis ſucceſſit. Nam primo calore Honorum tepeſcente indies, cum omnia peius videret procedere quam ſperauerat, fumum magnatũ captare. & dum ſaluam Maledicendi artẽ quam penitus pectore perceperat,haberet, nihil non ſibi polliceri etiam ex tam infelicibus principiis cœpit. Applicuit igitur ſe lateri vnius inſignis um Romæ ex proceribus purpuratis. Eius ſaem linxit dum potuit quod temporis ab eo decide-

cidere habuit. nouam artem, quam nullis libris didicerat nemo adhuc litteris exſcripſerat, exercere orſus eſt. Proditoriam aggreſſus, quoſcunq; ex patria ſua, quam numquā tamen vt dignus, coluerat, vrbem allatos videbat aut per emiſſarios fameliciſſimos mortalium, cōperiebatur, eorum nomina expiſcari, & ignium Curatoribus deferre, quæſtum habebat. Ipſe interea titulorū inſignium honore omni ſuſpicione impietatis maior. Sed iudicium hominis in iis admirari licet. Cum enim haberet ſingularium aliquot electionem, eos elegit, quos numquam vllus ipſi accrederet, quin planè agnoſceret eius generis hominem, qui omnia quæreret, nihil inueniret. Cum enim Italis omnibus pro maximâ regulâ perſuaſum vellet Equitem ſeſe Nobili ſtirpe ex Germaniâ oriundum eſſe, & quidem eâ Germaniæ gente, quæ antiquiſſimæ nobilitatis inſignibus ſemper prima æſtimata eſt, eiuſque rei gratia herba factus eſſet libraria, cum omnibus amicorū paginis in Scaligeræ generoſitatis inuidiam diuinum illud FVIMVS TROES, inſcripſiſſet, de nouo tamen, vt adularetur conſcientiam terreæ progeniei, equeſtre nomen exprocatum iuit. Eques igitur Italiæ gētis citra omnium Germa-

norum

norum inuidiam & fauorē factus, grandes auriculas Midę Lapidis, quibus vnis aliquam nobilitatem demonstrare potuisset, abscondere voluit. Sed id numquam à sociis suæ famelicæ professionis impetrare potuit. Illorū enim bona pars ipsi inuidebant datarii fauētiam, quod indies salis demensum ipsi fumo macerati cum pane rācido hesterni iuris, paullo festiuius præberetur, itaque scenam aperuissent, nisi clauo clauum trudendum adfecisset. Vlyxes Culinarius itaq; equite illo sine armis omnibus cōtentus esse noluit, & vt canem suum aliquādo doceret, quo hero gloriari posset, Comitatum adfectare cœpit. Rarò illum spes voti fefellerat, tū vero immani insuper felicitatis cumulo mactauit. Palatinatum enim insuper accepit, vt iam Comitatus insignia puderet tā ambitiose quæsiuisse. Eques igitur S. Petri, exinde pedum inscēdere solebat, quo quottidie palatium suum inequitabat, more Gallorum, ne caput vmquā inclinare cogeretur. Sed non diu stetit tam insolentis felicitatis series. Mortuo enim subito quem ille edendo se immortalem facturū spoponderat, quoties ad lucentem focum sedens metro Tibulli compositos libellos, Stoicâ grauitate grauidos, recitauerat; omnes spes resque

eius conciderunt. Ad vnam ſanè Titulorum fidelitatem, qui in perſonâ non rebus exteris hominis hærebant; ii comitari glorioſum comitē non deſtituerūt. Sed quid ageret? Laudare iam neminem poterat, quia nemo tot titulos ſatis remunerari, poſtquam ſuum illum diuinū purpuratum decoxiſſet, volebat. Nec, ſi gratis caneret, pulpamentum aliud quam vngues ſuos habebat, quibus deglutitis ne fugere quidem integrum foret. Hæc cogitans, omnia arcana familiæ ſapientiſſimę excuſſit, & diuiniſſimum librum (licet enim dignis verbis res inauditas effari) de Stoicorum pinguedine concinnauit. Quem cum miris modis commendare ipſe geſtiret, callidiorem technam inuenire non potuit, quam vt omnibus perſuaderet, longè mēdoſiſſimum eſſe. Dii Deęq; quot millia Lectorum eâ vafricie ad horribilis & ſacri libri euolutionem perpetuam damnauit! Miriſſimum omnibus accidebat audire, ab eo homine mendoſum aliquid proficiſci poſſe, qui iam inde à cunabulis perpetuū mendis menſiſq; duellum indixiſſet. Et ſanè ſemel non mentitus eſſe omnibus viſus eſt, vt hoc etiam prodigium miracula cætera acceſſerit. Sed hæc omnia prius olfaciens quam quiſquam facere poſſet, aliud artificium

artificium

tificium Stoæ illustratæ affixit. Picturam egregiam, quam nec zeuxidos nec Parrhasii manus vmquam æmulatæ essent. Satirion cum quottidie pro potu haberet, inde librũ Satirici scribere titulo aggresũ sese dixit. Satirici, vt iuuenum scholasticorum expurgaret renes, ne quid barbarum deinde peccarent. Exemplum sane doctrinæ futuræ illustre iam dederat, cum in sacello Priapi adhuc admodum puer, vigilaret. Nam ex crypta illâ solâ & sacrâ speculatus erat passeré vicies, vt minimum, opus facientẽ, quod ipse toties vix sustinere posset à valẽtibus octo virgatoribus factum. Cuiusnegocii cum periculum non ita olim fecisset, in diuinam illam exclamationem erupit, quam, si quid cordis haberet, decebat litteris cubitalibus in æs incisam Porticu tam seueræ præfigere, vnde omnes eam ingressuri de plano legere possent. Nimirum iure doluisse fatendum cũctis foret, virum Sapientem, & Generosum, & Constantem, & Doctum & solum Regem, nisi cum catus de quadris lingẽdis inuidiam participaret, homini eam vim inuidisse Naturã quam passerculis, auibus de triuio, & minimè sapiẽtibus, salsis licet, largâ manu indulsisset. At ô quã mirabile magnæ matris secretum! Quod cum ille

lacrymantibus oculis, & ſpinâ longùm inquietâ deploraſſet, vt omnes mortales tanto auctore tamdem de Democriti caſtris ad Heracliti ſigna cōfugere cauſſam inueniſſent, triduum vnum cum fame pugnare noluit. Et ſanè ſucceſſit ſpes mercimonii. Nam ex improuiſo cum genitura ſuam apud neſcio quem calidum Chaldæū inſpexiſſet, vidit matri ſuę rem mirabilem, quam ille ſemper mendæ ſuſpexerat, plane defuiſſe. Rimatus cætera, vidit ſe non eo loco oriundum quo credidiſſet Ariſtoteli olim. Nam poſticam forem magna habere partus ſui indicia, te anticâ tacere eo loco melius eſſe. Nec ſtetit vnius hominis contemplatione. Fœminarū omnium res agi vnâ operâ poterat. Itaq; quotquot vſpiam gentium erant, omnes Concharum damnauit, vt eſſet quod inſignis artifex non ex ebore, vt ſtolidus olim Iuppiter Myceneo homuncioni, ſed vero de trabe Priapi ſui, præſentiſſimi Stoicorum numinis, ſuppleret. Accinxit igitur operi ſeſe, & tot ſecula penitus neglectam partem muliebris corporis, non ſine naſo ſatirico, & ore eloquentiſſimo, linguaq; ꝓrſus Auſoniâ, primū fingere, deinde affigere, mox perpurgare & penitus emendare ſategit, idq; prorſus vt alter Prometheus. Itaq;

vnius hominis beneficio immortali factũ est, vt fœminæ iam anticâ parte non pedant, cũ anteà nullibi nisi Claudiana ora haberent. Et licet iterum plorare fati iniquitatẽ. Si enim tam sagax naturæ mystes & instaurator vnicus ante matrẽ suam natus fuisset, & illi egregię fœminę hac ope suum quod tot seculis non habuisset, restituere potuisset, vnde geminis ornamentis & generis & natiuitatis instructior postea ex eodem luto Stoam ędificare potuisset. Nec defraudandus laude est aliâ mirabili, cum sermo huc sit relatus. Epicuræus etiamnũ gargalismus ab aureo torque torquebat animum, itaque in inuidiam eorum Dei, sine vectibus, cælis, dolabris, sine omni adeo instrumento condendæ machinæ tam ingeniosæ ex solius nasi sui acumine lepidissimam, partem illam corporis fœminini absoluit, & in Commentarios quos, Chrysippũ æmulatus, Dialecticos Satiricâ methodo conscripsit, retulit. Et quidem eam partem sine quâ vix vllus Poëta carmina scripsit. Certe quę proximè ad cuiusq; Stoici ingenium sapiat, siquidem & nectar illud latere non voluit, quod linguâ allaborans, myrotheciis suis cõfecit. Dignus mehercle & ob hoc & ob illud alterum beneficium, cui omnes quotquot sunt

cum illâ parte fœminę: acetum quæq; ſuũ conferant, ne vnquam pauperies acuminis Satirici deſieri poſſit. Et ſanè ipſam omnibus omnino numinibus prætuliſſe hominem tantæ eruditionis, præiudicium de eius excellentiâ inrefutabile eſt, ne quis vlteriorẽ à nobis commendationem exſpectet. Hęc cum iterum longiora viderẽtur, quam vt commodè meminiſſe poſſem, quamquam illud nõ agebam, & magnum iam iter decreuerat, Liberiũ alio deducere volui. Et heus tu, inquam, tum & me audiendi & te narrandi ſuauitas tranſuerſos agit, in aliam regionẽ delati ſumus, ego vero vt cupidus audiendi ita & mira videndi ardidus ſum. Duc igitur intuentem per ſingula & amœnitatẽ huius itineris doce. Hoc ipſum illud, eſt, ait per quod Numen illud noſtrum iter ad cœlum facere voluit, te vero vt hominem profanum ſecreta Deorum audire nefas fortaſſe ſit, & non ſine metus periculo. At tu ne vereare, ego inquam, nam & olim veſtigia iſta attentius conſiderare me docuerũt magiſtri quæ retro non ſpectant, & ego domeſticâ religione nõ videor, etſi initiorum ignarus, indignus tamen qui ea pro copiâ colam & venerer. Placuit Syllogiſmi effigies. Itaq; de ſinu ſuo libellum protulit Liberius,

berius, quuius ductum secutus omnia cœligradæ illius viæ secreta panderet. Quæ in eo scripta viderim, quæque enarrari audiuerim enũtiare somniũ voluit. Capita vero illius summa erant: Omnes disciplinarũ arcanitates, quæ vulgo corticem lambenti numquam innotuerint. Hîc & noui gradus Doctrinarum, & semitæ perquam tenues, & Voluptas maxima ductrix, cuius Numine placato, quiduis profiteri liceret. Sed ego accuratius singula contẽplans, Cur, aiebam, diuersum igitur Stoicus ille graditur? Videbam enim vestigia prorsus inconstantia quæ huc illuc talipedantẽ, non Ratione sed casu tulisse videbãtur. Attonitus Sang: hoc insperato acumine, Tibi vero, inquit, Dii prorsus fauent, qui illud primo intuitu obseruaueris quod nos maxime & occulimus, & nescire profitemur ipsimet Doctores sapiendi. Scias igitur longẽ aliâ debuisse, longè aliâ ad Doctrinam viâ semper Sophistas iuisse. Et detorto in latus libro, cum diu cunctatus foret, fato ad extremum nõ restitit, & extremæ paginę inhærens simulacrũ immortalis cuiuspiam potestatis, in hoc quidem genere hominũ qui Variam habitarunt, ostendit. Sed prorsus inauditæ & horribilis formæ. Illud omnes gradus videba-

tur, omnes deniq; cogitationes Stoicorum in diuersum pro lubitu, vel solo visu distorquere atque percellere. * Nomen quærere diu non fuit, nam pallore quodam subito Sanga, & maxillarum crepitu barbaro prorsus FAMEM esse ostendebat. Me vero risus ad hoc miraculum memorem periculi, cuius ipse meminerat, subiit. Non quod in me quicquam illud mõstrum tot Gigantum victoriâ superbum, posset, sed quod Sangiscus plane metu spiritum emissurus videretur. Primum enim & ventrem sonãtem inediæ detestatione, vibrabat, & fauces angustitate mirabili cõtorquebat, & laxo mox gutture auras captabat. Quod horribilissimũ erat, tanto stridore denteis collidebat, vt videretur nemine illorum saluo cessare velle. Cum primum rationi redditus est, grandi bolo obuiæ glebæ arrepto, matris magnæ os ori inferſit, & de cognata tellure medicinã fecit male visceribus illapso malo. Hocq; modo aduersi numinis ad tempus bile placatâ, spirituque festiuius paullo commeare adorso, me tamquã auctorem tanti periculi exsecrari cœpit. Tu vero, inquam, si tanta mercede nos docebis, initiorum obliuisci melius erit, vel te ipsum, si poteris. At ille non aliud iam remedium tantâ ope profu-

turum

turum esse, seque in vno summã spem habere, si narratam fabulam detexere sinerem, singultãtibus verbis vix protulit. Nam & dum dicerẽt, solere Famis non raro Stoicos obliuisci, & sese mirum in modum magistri sui laudum pabulo adfici, vnde sæpè penũ struxisset scilicet. Quãquam molesta res erat, ne sine duce in medio itinere irem voti sui cõpos vti esset, non minore aurium mearũ periculo, quam illi faucium obuenerat, copiã feci. Ergo, inquit, vt dicere cœperã cum Romæ omnes spes cœnaticæ morte illius egregii Educatoris, decollassent, nec iam Proditoriæ artificium succederet, omnibus de colore corui sobolẽ agnoscentibus, Stoico isto opere ad vmbilicum deducto, quamuis & Famem ipsam monstrorum extremum, ea grauitate domare posse sperasset, longè tamen aliter negociũ cecidit. Exortâ enim subito inter potentissimam Europę vrbem, & summum orbis Christiani, id quod vel vos fatimini, sacerdotẽ disputationis necessitate, hic sibi campum in quo laudum & doctrinarum eloquentiæq; inenarrabilis turmas exponeret, ratus hac occasione aperiri, clandestinis molitionibus, & rimatione hinc inde diligentissima, cursitando atque mendicando, caussæ aliquam noticiam

inuenit. Quuius semiapprensæ & numquã intellectæ fiducia, cristas tollens non temperauit, quin de domesticarũ artium luculento penu adderet inuentiones mirificas. Quid verbis opus est? Patrium officium transgredi voluit, tamdemque propior etiam quam torque ipso fuerat, cruci accedere, vt vno saltu triennii integri curas tamdẽ fauentibus Diis explere posset. Itaque summæ Potestati sese proditoris eximii nomine carum, & mox notum futurum indicauit. Non videbatur à moribus suis aliena polliceri, itaque dum visus non est, aliqua in illius tolutiloquentia spes fuit. Cum vero coram hominis vultum sagacissimi aulæ intuiti fuissent, illico vulpeculæ vafricies occurrit, scilicet vnum id agere vt de tanta cõtrouersia quæ terrarum orbem tumultu horribili concussura timebatur, aliquot dierum sibi pabula anquireret. Itaque, quæ eorum est ingeniosissima malitia, nec planè conantem repudiarunt, nec acceptarunt pro gemmis vitrea fracta. Sed sequestrato operæ vsu, in commodum tempus, vt si extremis contra pietatem fasque omne officiis opus esset, desperatissimi tenebrionis oculis vti possent, interim re ipsa quampiam illi pauperẽ popinam, datariorum veterum penetralia, si-

tu

tu & fumo prorsus adesa, sine mūdo aut instru-
cto, commōstrarunt, vbi ætatem interibi Stoi-
co more degeret, donec ex amplitudine nomi-
nis illo vti frui possent, tum & nouas tabulas, &
diplomata accepturum, quibus datariis volen-
tibus nolentibus quottidie suas partes obtine-
re posset. Correpsit igitur in illam antiquam,
& parasitis iam senio cōfectis olim destinatam
culinam, cum intestinis omnibus & ibi miratus
lauticias, quas numquam meruisset, cœpit o-
mnes diuitias & vota mortalium ex alto dispi-
cere, quoties quidem domesticis fumi nimium
familiaris iniuriis oculos aperire poterat. Et di-
citur in ea domuncula & campum Martium &
molem Adriani, & Capitolium adeo ipsum pro
lubitu singula aut iuncta habitasse, quoties vo-
luerit. *Dum vero in illâ luce, vt loquitur, ter-
rarum degeret, cum in mentem veniret, nemi-
nem malum Romæ esse, quî cum comparari se
virtutum totiiuges experientiæ sineret, irrepsit
sodalitati Collegii Loiolitici hominū sanctissi-
morum, & quorum merita decinere terrarum
Orbis pro dignitate nūquam potuit: Dudum
erat cum eos homines mordere incepisset glo-
ria generis, eruditionisq; præstātia, in quopiam
Gallo homuncione; sed qui Italiæ principibus

 genus

genus deberet. Igitur à multis annis thesaurum fraudum & mẽdaciorum in abditis adytis sanctuariorum suorum constipauerant, quicquid vspiam gẽtium famelicarum & impudentium contumeliarum volitabat, corraserant fide singulari, cum puluisculo, adeoque ad vnguium periculum, quos alioqui ex disciplina Collegii, acutos & minimè infirmos gerũt, eum thesaurum cum extrudere tamdem viuente illo capitali aduersario, ne viderẽtur scilicet cum laruis lemures luctari, vellent. Nec esset tamen reperire hominem adeo effrontem, qui expolire & in librum redigere sacerrimã illam struẽ vellet. Omnibus odium generis humani in profligatissimæ audaciæ ostento declinantibus, præterea opus esset confidentissimo nebulone, qui erubescere non posset, pudorem prostituisset, diuina & humana omnia libidini suæ postponeret: esset autem plenus sui de se existimatione, omnes præ extrema desperataque audacia ad omne nomen malitatis, contemneret, cum sursum & deorsum omnia perquisiuissent, peiorem Stoico isto inuenire nullibi potuerunt. Qui quidem quanto nequior esset, tanto probior ad hoc negocium videbatur. Itaque vltrò obrepentem, primum grandi futurorũ spe oppleue-

pleuerunt, deinde gestientem tantum facinus patrare, vnde immortalitatem omnibus facinoribus suis confecturum putaret, in sacraria scelerum deduxerunt, sacramentoq; silentii iniuncto, ad vnum omnia ipsi congesta tot annis tela cesserunt. Nactus ille materiam, iam alia curarent, imperauit. Totum se immersit mendaciorum follibus. ** Denique librum adeo horribilem exclusit, vt post homines natos, post inuentum scribendorum vsum librorum, spurcius, tetrius, & quid verbis opus est? incestius atque profligatius nihil neque scriptum sit neque cogitatum. De bonis omnibus non nisi optime meritum, (id quod de illo pessimè erat,) senem, sola illa ansa calumniandi, quod eruditione & Linguarum peritia, eminere videbatur inauditis probris, cōtra conscientiam & olim suiipsius publica testimonia, operire atque prorsus exstinguere, quæ illius sacerrimæ struis vltima conclusio est, voluit. Artificium eruditionis in eo libro id ostēdit, vt quibus antea desipere videbatur, nunc scirēt prorsus insanum. Nam nec membro membrum, nec sententia sententiæ, nec verba verbis cohærent. Mendaciorum vero cum aliquem numerum inire aduersarii nisus est, ipse innumera falsi-

moniarum millia effudit, quibus nullus ordò, nulla ansa, deniquenec caput nec præputium esset. Tot crimina criminationibus elucent, vt quamuis pro suis ipse tectorium induxerit, nemo tamen dubitare valeat, omnium spurcissimorum balatronum communem cloacam illum librum inscribendùm esse. Sermonis tot næui sunt, quot vix rerum tractatarũ, quorum numerum tamen inire nemo potuit, nec ausus est vllus. Absoluto & extruso hoc opere, cum inde clarescere posse nomẽ properasset suum, mercedem sycophãtiæ longæ aliam tulit. Nam incomparabilis impudentiæ & abiectissimæ confidentiæ præmium id tulit, quod extorrem sua popina, (regno tot votis antea posito) cum omnibus commentarum doctrinarum nominibus in maximam malam crucem, Italia ipsa exegit. Nam multi aulico aceto nasum acriter loti, cum immanem viperam suo se sibi sinu nutrire viderent, detestati venenatæ bestiæ virus tanta furiositate profusum, data explorandi prouincia, præcipitem Roma Venetias expulerunt. Voluit hoc subito fulmine attonitus caussam insperati exilii percontari, sed nemo audire voluit sibilum, quem etiam aurium sensum inquinare omnes suspicabantur. * Vix itaque

eaque vrbe excesserat, cum per nuntiū sequentem mandatum est, Romam, si saluus esse vellet, numquam rediret. Omnibus iam exosum esse, & data occasione tot facinorū pœnas daturum illis, quibus se maximè probaturum ea opinaretur. Quid faceret? rerum omnium inops, ditissimus omnis generis confidentia vitiorum, quo se verteret nesciebat. Nam obuium quiuis etiam plebis extremæ detestabatur. In titulis solùm suis supremam salutis anchoram hærere opinabatur. Itaque illis vndiquaque se exornans, & tumido gradu inferēs, Venetias perrexit. Eo cum venisset, homines nihili tum æstimantes auctoritates omnes quas vel mētiri poterat, cum suo sibi omni peculio, quod nominibus dignitatum absoluebat, in carcerem publicum, cum vix horam in ea ciuitate fuisset, deportarunt. Hæc illi tum loca lautia fuerunt. Altero mani, cum interim crapulam supinæ superbię penè integram dedormisset, additus est illi crassus percontator, qui argumentis non videbatur sophisticis vsurus, sed finem in bono statim maloque re ipsa inuētutus. Is barbaro satis alloquio, cum ille diuinis adhuc speculationibus occupatus foret, omnibus spebus placendi statim hominem depulit,

cons-

confessúmque potius quam pugnantem extra fines cedere mandauit, eum ibi locum non inuenisse quem sale suarum iucunditatum perfunderet. Exorsus tum dicitur concinnissimam de innocentia orationem, tali lictorem illum venere dicendi astrinxisse, vt homo iam de parente eius nihil dubitaret, quem in adolescẽtia inter vespillones non extremum norat eo nomine, sed paullo fortius, nominatum. Tantum denique suadæ medulla delinifica sua persuasione effecit, vt eadem nauicula lictor extrema omnia non ita pridem minabundus, eum deduceret, & cum de cauendis Venetorum finibus deieraret, gratiam illi senum pedum faceret, quorum spacio crucem inuenire etiam in ea regione posse censebatur. Ita Italia terra extorris cum Augustam venisset, habitum ingredi optauit monasticũ, & valedicere rebus humanis, inter quas ipsum iam nemo censeret. Iamque in eo erat vt habitum illum indueret, quo tot millia parens suus Charonti stitisset olim. Cum Pronæa noctu vigilanti & omnia intuenti adstitit. Torquem manu aureum præferens. Multa velle loqui videbatur, sed ille saltu numen inuolans, medium sermonem irrupit, instrumentum illud felicissimi quondam tem-

temporis ſui, torquem videlicet exoſculatur. Sed retrò pedem torquens, diua, ſi vis, inquit, facinorum de auſteritate aliquid remittere, parens tuus fecit, quod tibi tanto opere Venetiis his diebus familiaris vnicus minabatur. Subito in ſpem hac oratione erectus, cum patrem ſuum paſſum eſſe coniiceret quod tam ſæpè feciſſet, contento curſu ſimul collegium illud & vitam ſolitariam erupit, vt tot titulis grauis domeſticam hæreditatem cerneret, ceſſuris omnibus auctoritati præiudicatiſſimæ.

* * Cum igitur curſu eò perueniſſet, vbi iam nemo eius meminerat. Pro hæreditate funem inuenit, hunc ſcilicet Numen illi torquem obtulerat, quem tot annos pater Lucretius, inſigne virtutum ſuarum, collo immunem geſtitaſſet. Sumeret patrium theſaurum, ſeque eo quam feſtiuiſſimè indueret, ſin diſpliceret hoc, & concoctum vellet, repeteret memoria ex tot ſperatis bonis hunc ſolum ſupereſſe, qui hæredem ſequeretur. Attonitus hoc oſtento, nam rem etſi antea norat, credere tamen noluerat, ne iniuriam dignitatum ſuarum à ſua credulitate auſpicaretur, dum potuit cum omni patrimonio aufugit. * Vbi poſtea gentium fuerit,

rit, nesciuit ipse, nam quod opinatus est hæsurum eo loci quem Secretorum curatione dixit sese indeptum, nugatus est, vel ludum nobis fecit. Hoc vero momento istic in cœli meditullio versari, mihi soli scitum est. Agit enim caussam suam, vult Deus fieri, ne Chaldæorum fidem eleuet. Nam ipsi parum successibus artis fidere dicuntur. Itaque eloquentiam hominis succenturiarunt. Hæc cum Sanga dixisset Mercurium ex ostiolo prodeũtem videmus nebulosæ domus, quam cum propè iam accessissemus, nemo tamen qualis esset dispicere poterat: Iste verò manibus ambabus ilia sua sustinebat, vt videbatur, enixè cauens ne risu rumperetur. Sangam autem vix intuitus erat, cum pro aduocato intro sustulit, caussatus rei præsentiam eius flagitare tam subitum patrociniũ. Secutus ego mirabilissimum facinus video. Erat enim versicolor bestia, collo funem gerens, pedibus nudis, vultu relligioso, quam sanè hominem dixisses sed longo iam tempore fumo maceratum, eius res gestæ, vt natus, educatus, altus, fuisset, vt mores ipse vitamque coluisset, tabula exscriptæ ærea in vestibulo suffixæ erant. Ipsa geminis auribus non equum, nec equitem,

quitem adeo, sed asinum, nec Italicum sed Arcadicum, professa, posti destinata erat, iamque cum malleo Vulcanus aderat, &, tu quidem, inquiens, ne frustra in hoc cœli meditullio tam comtis logis diuinitatem ambiueris, ex consulto calculisque Deorum omnium, quos tuo colori similes ex meritis tuis contulerunt, hîc æternùm diuinus esto, vt quicunque ad nos vera virtute viam affectant eos allatres, atque distentis saxeis illis dentibus, multum, sed vano conatu, terrere labores. * Ne vero cuipiam ex bonis atque benè rem gerentibus pro Imperio atque iussu nostro ex inopinato vanum timorem iniicias, hanc tibi notã tuarum primus Virtutum cape. Cum dicto Pyræmon grandissimas litteras CAVE CANEM ferreo sigillo fronti monstri semihominis inussit, adeoque faciem totam liberalissimâ manu inscripsit. Vulcanus vero auribus latè & longè distentis duos acutissimos clauos impegit, quos cum eminere altrinsecus videret, posti suffixit, bellissimè ex altera parte paribus aliis compactos, ne vlla spes euellendi fortissimi viri filio foret. Sãgam vero cum hæc videret non iam libido cõceptæ orationis expromendæ tenebat, quin

præ-

præceps per caputque pedesque in maximam malam latrinam extra omnem cœli memoriam, subito cursu viam ad terram perrumpens, abiret. Illum spes ita Cœlestium rerum, me somnus dimisit.

FINIS.

